

Lucida cœlorum spiritus astra petit.
 Spiritus astra petit, felicitis gaudia vitæ
 Conferat æterni gratia sancta Dei.

(94) Is erat Petrus Paillardi monachus Majoris Monasterii, suppar Hildeberti.
 Hæc de officio missæ per Hildebertum episcopum Cenomanensem.
 In altero ejusdem monasterii ms. num. 121, deest titulus, sed ejus loco hi versus habentur :

APOLOGIA.

Cum te veter, lector, cum te novus implicet error,
 Obsecro, dans veniam scriptori, collige causam.
 Tollere quæ potui, mendacia plura reliqui.
 Dum stædeo sterilem, cursum [f. cursim] transire laborem,
 Pagina nulla capit quot sint mala quæ manus auxit,
 Dum loquor, aut nugis oculus vacat, aut patet auris.
 Proderit ad veniam forsitan cognoscere culpam.
 Excedunt numerum, latuit correctio quorum
 Et nunc usque latent, quamvis quæssita fuissent.
 Unde precor, misero scriptori parce coacto,
 Ut meliora volens faceret tam perdita nolens.
 Talibus auditis, si condescendere non vis,
 Incertusque mihi benedicere, primitus audi.
 Denique, Davus ego, tu, si potes, Œdipus esto.

VEN. HILDEBERTI
 VERSUS
 DE MYSTERIO MISSÆ.

Scribere proposui quid mystica sacra priorum
 Missa repræsentet, quidve minister agat.
 Pro multis una, pro quotidie repetitis
 Est oblata semel hostia vera Deus ¹.
 Involucrum legis Christus patefecit, ovemque
 Significativam vera removit ovis.
 Presbyter hanc offert, et in hac cessare figuras,
 Remque figurarum testificatur agi.
 Sic eterim templi, sic et crucis exprimit aram,
 Ut sacra commemoret illius, hujus agat.
 Ergo quid in missa vel agatur, vel memoretur
 Quæ quibus assimilés, sub brevitate canam.

De introitu missæ.

Turba prophetarum venturi nuntia Christi,
 Mysterium fertur præcinuisse crucis.
 Hunc desideris, hunc laudibus, hunc prece multa
 Præsuspiravit, extulit, expetiit.
 Hæc tria commemorat, similique sub ordine ponit
 Introitus missæ, quem chorus ante canit.
 Ante recensentur suspiria, postea laudes,
 Inde preces, in quo quæque notentur, habes.
 Exprimit officium suspiria, gloria, laudes ;
 Kyrie eleyson ter triplicata preces.

De adventu sacerdotis ad altare.

Interea veniens in sacra veste sacerdos,
 Altaris dextram, dona daturus, adit.
 Illius adventus, quibus, o Judæa, revisit
 Te tuus Emmanuel, tempora plena notat.
 Secreta siquidem procedit ab æde minister,

(95) Ebr., *Ortu secreto*. Alii mss., *Ortus secreto*.

(96) Reg. 4103 : *Hinc sacrificæ orans alios*.

(97) Hic alludere videtur ad veterem fidelium consuetudinem, qua etiam laici divinis officiis ad-erant non nisi stantes, sed quibus indulgebatur bacu-

A Ortu secreto (95) venit ad ima Deus.
 Vestibus ille sacris tetigitur, textit caro Verbum,
 Tota carens macula, tota sacrata Deo.
 1137 Ille stata dextris, quia quæssit auctor inanes
 Exsecrata deos gens, quasi dextra fuit.

De Gloria in excelsis.

Angelicum post hæc sacrificæ Pater incipit hymnum,
 Inceptum complet vociferando chorus.
 Incipiens memorat quæ Salvatoris in ortu,
 Gaudia pastores angelus edocuit.
 Cantica quæ post hunc superi cecinere, recenset.
 Gloria, quam complet vociferando chorus.

De Oratione.

Hinc (96) oraturus, alios hortatur ut orent,
 Discipulis Christus jussit, et egit idem :
 Nam turbas in monte docens, oravit, et ipsis
 Orandi formam fratribus instituit ².

De Epistola.

Lectio quæ sequitur, doctrinam signat eorum,
 Qui sunt præmissi septuaginta duo ³.

De Graduali.

Illorum monitis, dum responsoria cantat,
 Edocet assensum se tribuisse chorus.

De Alleluia.

Alleluia sequens memorat quæ gloria mentis,
 Quam pia laus oris sit comitata fidem.

De Evangelio.

Inde sinistrorum Domini sacra verba leguntur :
 Plebs (97) baculos ponit, stat, retegique caput.

lorum gestatio, ut prolixioribus solemnitatibus as-sistentes, baculis innixi minus fatigarentur ; quem ritum, ut notavit auctor modernus Vitæ piissimi D. de Chasteuil, etiamnum observant Marenitæ, in quo-rum ecclesiis ad introitum præsto sunt plures bacu-

¹ Hebr. ix. ² Matth. vi. ³ Luc. ix.

Neve superveniens zizania seminet hostis ⁴.

Frontibus imprimatur mystica forma crucis.

Rejiciente fidem Judæa, gratia Christi

Transiit ad gentes; Israel errat adhuc ⁵.

Transitus is, quoties Evangelium recitatur,

Mentibus occurrit, exprimiturque loco.

Ad lævam legitur, quia quo transivit aberrans,

Et velut a læva gens idololatra fuit.

Ut sit attentus, patiens, erectus in hostem,

Et caput, et baculus, et status ipse docet.

Quippe caput retegens, attente audire moneris,

Parcere, cum baculum rejicis, instruaria.

(98) Doctrinam verbi simul affingere cordi,

Cum super astringis pectus utraque manu.

Stans discis, quoniam stantes pugnare solemus,

Quod te pugna gravis sub vigili hoste manet.

1138 De Symbolo.

Succinit ecce chorus fidei compendia nostræ,

Assensum Verbo se tribuisse docens.

Hic etenim monstrat, quantum profecerit, in quem

Crediderit, quæ sit, quidve data fides.

Ordo bonus, quoniam quo rex vocat atque ma-

[gister,

Respondet miles discipulusque: Sequor.

Quamque notam pastor novit ⁶, propriamque fa-

[tetur,

Hac se signatam testificatur ovis.

Quæque probant opifex, et signifer, et caput idem,

His opus, his proceres, his sua membra foveant.

De Offertorio.

Sic confessa fidem pia plebs, orare monetur.

Ut sit in hac stabilis, insuper aptet opus.

Effectum spondet chorus offertoria cantans:

Tanquam si dicat: Credo, fatebor, agam.

Hinc est quod post hæc offert sacrandæ minister

Dona, dehinc populus, quod sibi lege licet.

Ordo decens; Evangelium præcedere cernis,

Pone fidem pandi, dona deinde dari.

Audis, ut credas; et credis, ut hostia fias.

Taliter incipimus esse, sumusque Dei.

Præterea donis, quæ plebs devotior offert,

Dona domus Judæ commemorare licet.

Cum Salomon templum, Salomon altare sacraret⁷,

Oblata a populo victima multa fuit,

lorum fascæ, e quibus quilibet ingrediens unum sumit, ut stans ad officium secundum illorum consuetudinem, minus fatigetur; quos tamen ad Evangelium, et ad sacræ hostiæ elevationem deponunt, Nam, ut notat Tertullianus De oratione, cap. 12, in conspectu Dei vivi assidere, angelo adhuc orationis astante, irreligiosissimum est, nisi, ut ait, *exprobramus Deo quod nos oratio fatigaverit*. Hunc porro stationis ritum, monachorum proprium fuisse ipse Hildebertus innuit, dum sermone 3 in festo S. Petri, inter molestias, quas ad meritum illis ferendas esse suadet, numerat ægritudines & longinqua in choro statione provenientes. De qua in choro statione

A Exemplo, Judæa, tuo plebs usa fidelis,

Altari dat se, dat sua, tu neutrum.

De Oblatione panis, vini et aquæ.

Non sine mysterio, sine re, vel panis ad aram (99),

Vel vinum fertur, cui superaddis aquam.

Utraque danda Deo præsignavere figuræ,

Traditio docuit, sanctior usus habet.

Utraque sub typico ritu, formaque futuri,

Melchisedech Domino sacrificasse ferunt ⁸.

Utraque discipulis cœnantibus ipse Redemptor

Tradidit in corpus utraque versa suum ⁹.

Urus et ipse placet, quo sic mactetur in imis,

Ut sit in excelsis inviolata caro

Admixtum vino laticem miraris, at ipsum

B Grande sacramentum est, nec ratione vacat.

Unda fluens, homo præteriens: ea mista liæo.

Est Christo, Christi sanguine, junctus homo.

Dividit unitos, vel aquam, vel vina ministrans,

Et caput a membris separat ipse suis.

Præterea nil fons sine sanguine, nil sine fonte

Sanguis, utrumque simul salvat, utrumque sa-

[crat.

1139 Cum rimaretur pendentis viscera Christi

Lancea, manavit sanguis et unda simul ¹⁰:

Sicut utrumque simul fluxit, simul offer utrumque:

Unum deme, crucis non imitaris opus.

[(100) Qualiter calix et hostia sint super altare ponenda.

Ista sacramenta modo vario ponuntur in ara;

C Oblati panis dextra tenet calicem,

In cruce pendentis quoniam latus Omnipotentis

Dextrum sanguineam vulnere fudit aquam.

Sic super altare litat hoc memorando sacerdos

Hostia sicque jugis scelera nostra lavat.

Non reprehendendum si panis in anteriori.

Parte locatur, habens posterius calicem,

Illius ordo prior tenet intuitum rationis,

Posteriorque favet usibus Ecclesiæ.]

De Secreta.

His ita præmissis, secreto presbyter orat,

Secretas memorans, assimilansque preces,

Quas egit Christus, cum te jam, Juda, remoto,

Abscessit modicum, terque precatus, ait:

etiam clericis imposita vide Martenium nostrum, tract. De divinis officiis, cap. 3, num. 12, ubi de hoc fuse et erudite.

(98) Hic duo versus desunt in editis et aliis mss., leguntur autem in ms. Regio 4103, et in Victorino 27, et in Colb. 6101.

(99) Sine re, vel panis; Reg. 4103, sine re tibi panis.

(100) Hic in editis et in pluribus manuscriptis desunt decem versus, quos e ms. Colb. 6101 hic supplevimus, cum epigraphe ad marginem inventa.

⁴ Matth. xiii. ⁵ Act. xpi. ⁶ Joan. i. ⁷ II Paral. iv. ⁸ Gen. xiv. ⁹ Matth. xxvi, Marc. xiv, Luc. xii. ¹⁰ Joan. xix.

In exemplari (1) manuscripto erant hic inserta verba hæc (2) minio descripta; (3) Pater, ei fieri potest, transeat a me calix iste. (Ea ipsa metro sic reddi poterant:

Velle tuo salvo poterit sic rite precari:

Alme Parens, a me transeat iste calix ¹¹).

His precibus veluti labiorum victima quædam

Est oblata, typum legis et ipsa gerens.

Pro se, pro populo, pro principibusque sacerdos
Supremus Domino mystica dona dedit.

Nam sua, nam populi, nam pontificum malefacta
Portarunt aries, et caper, et vitulus,

Pontificum vitulus, populi mala pertulit hircus,

Ipsius excessum dux gregis ipse luit ¹².

Hæc tria Salvator triplici prece commemoravit,

Jam tunc pro nobis omnibus unus (4) agens.

Nam ter humi strato contritio cordis, et ille

Sanguineus sudor ¹³, crux fuit ante crucem.

Jam tunc anxietas, finem spondentibus umbris,

Et veteri ritu gratior unda [una] fuit.

De Præfatione.

Hic actis, populum sublimi voce salutat

Presbyter, et sursum corda levare monet.

Inde Patri grates per Christum semper agendas

Asserit, et post hæc dona sacrandæ sacrat.

Si bene cuncta notes, hoc totum Filius egit,

A prece discipulos, inde petendo crucem.

¶ 1140 Primum jussit eos vigilare, statimque pre-
[cari,

Post dormire, dehinc (5) Agnus et ara tulit.

Nimirum dum dicit eis: Vigilate ¹⁴, salutat;

Quippe salus animæ, si vigilemus, adest.

Dum jubet orari, sursum cor suadet habere,

Orari siquidem sola superna jubet.

Dum tandem vocat ad requiem, monet edere grates.

Mentis enim requie gratificamur ei.

Nam grates agere, est Domino nos reddere gratos,

Quod facit a vitulis, mens, manus, osque vacans.

Ut talis fiat quisquis sub iudice Christo

Sacrificat, sub quo justus et ipse tremit.

Cum superum cautu, quos aræ constat adesse,

Admitti proprias postulat ille preces.

Cum quibus et nostras voces ut admitti, etc.

Postulat ut sua vox laudi concordet eorum,

Quos astare sacris pagina multa docet.

(1) Non designat quis fuerit ille ms. codex, qui forte fuit Colb. 6327, ubi revera hæc verba minio sunt descripta.

(2) In ms. Ebr. hæc verba leguntur minio picta: [Dehinc inclinat se sacerdos ante altare, ut orans: *In spiritu humilitatis.* Dehinc monet populum secreto ut oret pro eo, dicens: *Orate pro me, fratres.*]

(3) Hæc verba desunt in Reg. 4103; sunt autem in Victorino.

(4) Post hunc versum Colb. 6101 solus sic habet: [Oravit, pro se petit, quia clarificavit, Proque suis sibi quos ipse Pater dederat.

¹¹ Matth. xxvi; Marc. xiv; Luc. xxii, ¹² Levit. xvi, xxii. ¹³ Isa. vi. ¹⁴ Levit. ix. ¹⁵ Levit. x.

A Si verbis hominis, quam nectar ubique supernum.
Eructasse liquet, vis adhibere fidem.

Tempore quo supplex assitit presbyter aris,

Mactaturque Patri Filius ipse manens:

Æthra patent, cœlestis adest chorus, ima supernis

Junguntur; sunt actor [f. actor] et actus idem.

Costibus his dum mens, dum vox, dum vita ministri,

Concordant, grates indubitanter agit.

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Hinc bene (6) cum populo, ter Sanctus, quæque se-
[quantur.

Antea quam sacret mystica dona, canit.

Credimus has laudes assumptas ex Isaia ¹⁶,

In quibus innuitur trinus et unus apex.

B Ter positum Sanctus, trinum notat esse; sed unum
Declamat Dominus atque Deus Sabaoth

His tribus, huic uni sacrificæ litat, angelus offert.

Ascribit clerus, plebs veneratur idem.

Et quia percipiunt in sacro munere quidam,

Pro sacro Dominum munere glorificant.

Laudibus his venerantur eum, quibus æthra resul-
[tant,

Quas duo de seraphim nocte dieque canunt.

Has pro perceptis quasi grates rite rependunt.

Nequando frustra percipienda petant.

(7) *Qualiter vetus sacrificium cum novo condito con-*
cordat.

Hæc enus explicui quid representet in ipso

Officio missæ, quidve minister agat:

C Ex quibus hoc totum, quod in æde priore jubetur
Offerri, coram commemorare licet.

¶ 1141 Quidquid enim sit in Ecclesia, tantummodo
[prosit

Moribus aut fidei, victima grata Deo est.

Offerimus vitulos linguæ, mactamus et hircos

Solvimus in cineres thus, oviumque virum (7) ¹⁷.

Dum canimus, vel dum legimus, quod prava re-
[frenet.

Quod populum, quod nos ad meliora vocet:

Tunc etiam vitulus, tunc sacrificatur et hircus,

Cum fastum calcas, luxuriamque premis.

Agnus ab innocuis, a simplicibusque columba,

Turtur ab his qui flent, gaudia summa procul. ¹⁷

In clibano coctos panes altaribus offers,

D Hostibus, et veniam quærens, pro principe poscit;
Plebis enim princeps jussit eum perimi.

Stratus humi trinus, contritio cordis, et ille

Sanguineus sudor, crux fuit ante crucem,

Anxietas habita, finem spondentibus umbris,

Supremo Patri victima grata fuit].

(5) Ita editi. Ebr., *et ara Dei.* Reg. 4103; Colb. 6327 et 6101, et Victorin; *ara fuit*: Ebr., *ara Dei.*

(6) Victorin., *pro populo.*

(7) Sic habetur in Ebroic. *pro summario.*

(7) *Id est, masculinum seu arietem.*

¹⁶ Luc. xxii. ¹⁷ Matth. xxvi; Marc. xiv; Luc. xxii. ¹⁸ Isa. vi. ¹⁹ Levit. ix. ²⁰ Levit. x.

Si robur mentis nulla flagella movent:
 Consersos oleo, si jus pietas moderetur,
 Inque reos infra, quam (8) liceat, libeat.
 Non fermentatos, si mens tibi purior adit,
 Excoquat et carnis fluxa supernus amor.
 Offers et similam, si quos diviserat error,
 Colligis, inque fidem jungis, idemque facis.
 Hoc catechizans, mollis; in baptismate mergens,
 Unis informans aspera ferre, coquis.
 Sic eadem moresque docent, Christumque figu-
 [rant,

Sic geminos usus cætera legis habent.
 Quod vero missæ superest, ita sacra recenset
 Legis, ut exhibeat sub cruce sacra crucis.
 Quippe recensentur quidquid lex præco futuri,
 Intra sanctorum Sancta jubebat agi.
 Hæc aperire labor, quia metro, nominibusque
 Ignaris metri, meteriaque premor.
 Da (9) veniam, lector; rem tantum pandere et
 [usum,

Non speciem, nostris versibus esse sat est.
 Non tamen exspectes ut singula verba vel actus
 Quoslibet aggrediar clarificare tibi.
 Ad summam rerum curret stylus, et quibus um-
 [bram

Legis, opusque crucis exprimat ara, canam.
 Et semel, et soli sanctorum Sancta patebant
 Pontifici¹⁰, precibus plebe vacante foris.
 Angulus is velo distabat ab æde priori,
 Adventu superum, colloquioque sacer.
 Idem thuribulo, simul et thymiamatis ara,
 Et testamenti fœdere clarus erat.
 Clarus et insigni tabula, quæ præminet arcæ,
 Quam super obambulat pronus uterque cherub.
 Summus eo præsul semel accedebat in anno,
 Pro se, pro populo mystica dona ferens.
 Scilicet illius hirci vitulique cruorem,
 Quos proles Aaron immolat ante fores,
 Carboesque simul, quos desuper exteriorem
 Sumendos aram pagina sacra docet,
 Hos in thuribulo ponit, tantumque sacerdos
 Thus cremat, ut fumus uber obumbret eum.
 Aspergit tabulam, post hæc aspergit et aram
 Exterius sacram sanguine pacifico.
 Hinc redit ad populum, vestem avat, attamen
 [idem,

Non nisi sub sero vespere, mundus erat.
 Hic locus, hic sacrificex, ea munera signa fuere;
 Signa recesserunt, significata manent.

Exprimit Ecclesiam prior ædes, altera cælum,
 Antistes Christum, sanguis, amara crucis,
 Carboes, summam virtutum, Christe, tuarum,
 Thuribulum, carnem, thura cremata, preces.

(8) Reg. 4103, et Victorin., liceat, feriat; cæ-
 teri, liceat, libeat.

(9) Post hæc verba, ista habentur in Victorino:
 Veniam petit expositor, si quid minus dixerit.

¹⁰ Levit. xvi, Hebr. ix. ¹¹ Levit. iv,

A Summa tabella Patrem, cœlestes ara cohortes;
 Veste notatur homo, vespere mors hominis.
 Hæc perstricta tibi rerum velamina pandunt,
 His ea, sed veluti semiretecta, vides.
 1142 Ex his non aliter sit res tibi pervia, quam si
 E foribus spectes interiora domus.
 Interiora sacri, te, Christe, docente, patebunt,
 Cujus morte patent interiora poli,
 Quas igitur partes perstringere nitor, easdem,
 Sicut habet series canonis, exposui.
 Sic levius disces quod opus, quæ verba ministri.
 Quid reminiscantur, legis agantve crucis.
 Te igitur, clementissime Pater, usque illibata.
 Intrabat præsul vitulorum sanguine sacrum,
 Intravit proprio Christus et ipse polum.

B Intrat agens sacrificex in sanguine semper ad aram,
 . Effusi semper sanguinis ipse memor.
 Nam quoties fusum, verbo, cruce, mente retractat,
 Hunc specie toties in sacrosancta gerit.
 Quippe velut quidam cruor est meminisse cruoris,
 Hujus nos memores crux iterata facit.
 Mentio mortis adest, ubicunque perennibus esca
 Imprimat uncta manus mystica signa crucis:
 Sic Aaron, Christumque sequens, altare frequentat
 Presbyter; hunc haustum sanguinis ipse gerit.
 In primo siquidem versu vexilla salutis
 Ter super appositæ prærogat ille dapes.
 In quo jam mortis, mitisque priusque recordans,
 Appellat triplici nomine munus idem.

C Post sacrificii nomine censet eas.
 Dona vocat, quoniam Deus has donavit, ut inde
 Sustentaretur lege modoque caro,
 Munera sunt, quoniam Deus his donatur, et inde
 Munerat auctorem, cui dedit auctor eas.
 (10) Nam quod sacrificii censentur nomine, monstrat
 Qua ratione prius munera dicat eas.
 Scilicet idcirco, quia sacrificantur, et apte.
 Munerat auctorem, qui data reddit ei.
 Sic eadem quæ dona vocat, cum sacrificantur
 Munera sunt, quoniam munerat inde Deum.
 His quoque nominibus pulchre satis hostia triplex
 Innuitur, scripto jam recitata meo.
 Hoc etenim totum quod spondebatur in illis,
 Completum memorant, sub specieque gerunt.

D Nam quod speravit prius in vervece sacerdos,
 In capro populus, in vituloque duces¹¹;
 Crux dedit, esca sapit, totum canit esse tributum,
 Nominibus trinis hæc tria sacra notans.

In primis quæ tibi offerimus, usque antistite nostro.
 Memento, Domine, famulorum, usque Deo vivo et
 vero.

Ingressus sacra sanctorum leviticus, orat

(10) Ita editi et manuscripti Colbert. 6102. 6327
 et Victorin.; Ebr. vero: Jam quod, Reg. 4103:
 Namque.

Pro se, proque suo principe, gente, domo ²⁰.
 Ante crucem Christus rogat, et se clarificari ²¹,
 Et custodiri quos dedit ipse Deus.
 In cœlis etiam semper pro plebe sacerdos,
 Pro servo dominus, pro grege pastor agit.
 Noster in hoc sacrificæ Aaron, Christumque se-
 [cutus,
 Pro tota primum supplicat Ecclesia.
 Hinc etiam pro pontificis, regisque salute,
 Pro reliquis infra sicut oportet agens.

1143 *Communicantes et memoriam, usque muniamur auxilio.*

Lege jubebatur sumptos altaris ab igne
 Carbones vivos in sacrosancta geri ²².
 Lege jubebatur Aaron festinus eisdem
 Thuribulo positus thus adolere Deo.
 Thuribulum carnis tanquam carbone refertum
 Virtutum cumulo Christus ad astra tulit.
 Hos ex igne Deo quo mentis fluxa cremantur,
 Quo laxæ carnis lubrica sumpsit homo.
 Tanquam carbones inter (11) sacrosancta sacerdos,
 Nomina sanctorum commemorando gerit.
 Hos etenim vivis carbonibus assimilamus,
 Qui splendent actu, juris amore calent.
 Denique qui sequitur quod lex jubet umbra fi-
 [gurat;

Dum litat, hunc ignem mente minister habet.
 Ingrediens etenim sanctorum Sancta sacerdos ²³
 Pectore gestabat nomina scripta patrum.
 Scilicet insinuans exempla, fidemque priorum,
 His imitanda, quibus mystica mensa patet.
 Nec satis esse Deo, verbis meminisse bonorum,
 Si non exhibeas moribus ipse bonos.
 Sic sacrificæ, intusque calens, extraque coruscans
 Carbones carbo factus et ipse gerit.
 Sic bene contexit multorum nomina patrum,
 Sic meritis multos exprimit ipse patres.

Hanc igitur oblationem, usque numerari. Per Christum. Qui pridie quam pateretur, usque Hoc est enim corpus meum. Simili modo postquam cœnatum est, usque memoriam facietis. Unde et memores, Domine, usque immaculatam hostiam.

Hæc nebula fumi regitur leviticus orans,
 Ut pateat nulli, dum thymiana cremat ²⁴.
 Hac prece pro nobis, hac sedulitate precatur
 Christus, ut angelicum transeat intuitum ²⁵.
 Nescitur quantum sumptæ præsentia carnis,
 Possit apud Patrem, quid sine voce preces.
 His precibus cedit quidquid leviticus offert,
 Et quocumque modo, tempore, sive gradu.
 His Patrem precibus dediscere iudicis (12) iras,
 Et flecti constat, et meminisse Patris.
 Tanquam sub nebula sacra dona frequentat et offert

(11) Ita Colb. 6101 et 6327; Reg. 4103 et Victor. *sanctorum Sancta.*, Ebr., *sacrorum Sancta.*

(12) Colb. 6101, Ebr., 19, ita habent. Colb. 632; *iram.*, Reg. 4103 et Victorin., *discedere iudicis iras*

A Quisquis agit Christi, (13) Christus et ipse, vios.
 Hæc etenim virtus, hæc efficientia Verbi,
 Et crucis est, ut mens, linguaque cedat eis.
 Nescit homo, latet et Superos, quo provehat escas
 Gratia verborum, mysteriumque crucis.

[(14) Dum super oblata sacrificæ expansus obum-
 [brat,

Pennatum cherubin denotat et seraphim.
 Cum super obnubit sacram thymiamatis aram,
 Ad quam pontificis est semel introitus.]

Incipit his verbis supplex instare sacerdos,
 Quæ, salva specie, munus utrumque novant.

1144 Incipit, et toto contritus corde, ore mans-
 [que
 Thuribulo mentis lucida thura precum.

Quæsumus ut placatus.

B Orat ut accipiat placatus dona, suaque
 Ordinet in pace tempora nostra Deus
 Orat ut accipiat de massa perditionis,
 Inter et electos nos numerare velit.
 Orat ut hic idem benedicat quas dedit escas:
 Orat ut ascriptas atque ratas faciat.
 Orat ut hoc altaris opus ratione geratur,
 Sitque quod acceptet, quod probet ipse Deus.
 Dum rogat ut Dominus, quæ condidit, hæc bene-
 [dicat,

Ut novet in melius, promoveatque rogat.
 Dum rogat ascribi, quod eam sibi præroget escam,
 Atque dicat propriam, sanctificando rogat.
 Dum rogat esse ratam, ne frustra speret in illa,
 Sed sit quæ prosit, sint rata vota rogat.

C Dum rogat hanc ratione geri, quæ munera recte
 Offert, ut recte dividat, ipse rogat.
 Ictius ergo dapis benedictio, gratia major,
 Uberior fructus, perpetuansque vigor.
 Hoc sane totum verbis confertur in illis,
 Quæ subdit sacrificæ, non sua, sed Domini.
 Quippe recensurus, quæ protulit ille, vel egit,
 Cum cœnans idem ²⁶, cœna beata fuit.

Qui pridie quam pateretur, accepit panem.
 Panis in hoc verbo, sed adhuc communis, ab ara
 Sumitur, et sumptum tollit utraque manu.
 Presbyter hinc idem, cum pervenit ad *benedixit* ²⁷,
 Imprimit elato mystica signa crucis.
 Nec prius in mensam demittit, quam tua, Christe
 Verba representans explicet ista super.

D *Accipite et manducate ex hoc omnes.*
 Hinc levat et calicem, signatque, nec ante reponit
 Quam super auctoris verba retractet ita:
Accipite et bibite ex eo omnes, usque in remissionem
peccatorum.

Si qua fides patribus, quos vita beata perennat

(13) Ebr., Christi *præsul*; cæteri, Christus.

(14) Hic in Colb. 6101 inveniuntur hi quatuor versus, qui non sunt in editis, nec in pluribus aliis manuscriptis.

²⁰ Levit. XVI, Hebr. IX. ²¹ Joan. XVII. ²² Levit. XVI. ²³ Ibid. ²⁴ Ibid. ²⁵ Luc. XXII. ²⁶ Matth. XXVI, ²⁷ Matth. XXVI; Marc. XIV; Luc. XXII.

Esca fit hæc animæ, quæ modo carnis erat,
His verbis utrumque novas acquirere vires,
Majoresque suis scripta probata docent.
Sub cruce, sub verbo natura novatur, et aram
Panis honorificat carne, cruore cruore calix.
Presbyter idcirco, cum verba venitur ad illa,
In quibus altari gratia tanta datur;
Tollit utrumque, notans quod sit communibus escis
Altior, et quiddam majus utrumque (15) gerat.
Quæque parans animæ, carnis fomenta paravit,
Omnia sacratis inferiora cibus.

Et quondam quoties libaverit ista sacerdos,
Christus eum memorem præcipit esse sui.
Hoc sacramento nos commemorare fatemur,
Quod mortem tulerit omnireator homo.

1145 Quod surgens cælos ascenderit, hæc tria B
[sane,

Qualem sacrificem vult cibus ille, notant:
Scilicet, ut (16) carne moriatur, mente resurgat:
Ter quinis gradibus templa superna petat.
Sic memores passi, surgentis, ad astra volantia
[meantis²⁰.

Et nos et pariter plebs tua, magne Deus.
De donis propriisque datis tibi munera pura,
Munera sancta, sed et immaculata damus.
Dona quidem nobis Domino data: nam quod in
[escam

Donat, nos ipsa sacrificando damus.
Pura damus, quoniam non his est mista [admista]
[vetustas,

Aut ad salvandum non ope legis egent.
Sancta damus, quia qui sacras dijudicat escas,
Proficit, et libans sanctificatur eis.

Immaculata damus, quia quod fuit immaculata
Hostia, quodque dedit, nostra sit [fit,] et dat
[idem.

Presbyter insistens implorat, ut illa serenus
Respiciat clemens, ac beet [approbet] illa Deus.
Nec minus hæc placeant, quod puer obtulit.
[Abel²⁰.

Quam quod Abraham, quam quod rex, sacrificemque
[Salem.

His tribus innuitur variorum forma sacrorum,
Quæ ratio, quæ lex (17) quæ sacra cæna dedit,
Lex naturalis, lex tradita, lex breviata,

Placavere Deum munere quæque, fideque suo.
Et tamen impariter, quia speque, fideque supreme D
Dicitur in reliquis plena fuisse salus.

(15) Colb. 6101 utrumque gerit: Colb. 6327 gerat. Sic et Reg. 4103, et Victor, Ebr., ferat.

(16) Ita Editi, Reg. 4103 et Victor. 272; Colb. vero 6101, 6327 et Ebr., carni, quod melius.

(17) Editiones etiam Lugdun. nova, sed mendose habebant, quam lex tradita, lex breviata, omnes autem mss. ad unum, quæ sacra cæna dedit, ut ibi posuimus.

(18) Hujus aspersionis intra canonem ipsum nullam mentionem, nec vel vestigium invenimus, evo-

A Hæ sibi sufficiens, nec eget perfecta futuris,
Nec de præteritis, unde juvetur, habet.
Supplices te rogamus. Memento etiam Domine. No-
bis quoque peccatoribus, usque omnis honor et
gloria.

Aspergi tabulam lex, umbra jubebat et aram,²⁰
Exteriusque sacrum sanguine pacifico.
Filius asseritur toties aspergere Patrem,
Asperso quoties sanguine placat eum.

(18) Aspergit semper (19) superos, quia semper
eorum

Asperso [f. aspersum] reparat, restituitque gre-
[gem

Aspergit semperque homines, quia semper et ipsos
Aspersos renovat, conciliatque Patri.

Hos astans aris aspergit, et ipse sacerdos,
Cum memor aspersi sanguinis, unit eos.

Unit eos placando Deum, suppleto ruinam
Spirituum, vitam restituendo reis.

Vita (20) Deus moriens, hoc totum præstitit orbi,
Hoc per eum mortis mentio præstat adhuc.

Tunc igitur sacrificem aspergit sanguine Patrem,
Cum semel aspersi mentio placat eum.

Tunc idem cætas aspergit cœlicolarum,
Cum semel aspersi mentio (21) supplet eos.

Tunc aspergit et hos, quos abluit unda salutis,
Cum semel aspersi mentio purgat eos,

1146 Presbyter hæc satagens, sumpta sibi sup-
[plice forma,

In sublime geri mystica dona rogat.
Addit et erectus, ut participatio mensæ,

Quotquot eam sument, prosit, et intus alat. C
Memento etiam Domine, famulorum, etc.

Neve sepulorum pia mentio prætereatur,
Et bene defunctis, et sibi poscit idem.

Poscit idem sibi, dum sanctis rogat associari,
Quos et nominibus nominat [exprimit] ipse suis.

Angelus is, cujus manibus sacer ille minister
In sublime geri munus utrumque rogat.

Angelus est ejus, vel quos reverenda vetustas
Desursum missos dicit adesse sacris.

Ara superna, Dei conspectus, eo sacra ferri,
Est etiam meritis sacra placere Deo.

Angelicas ea ferre manus, est plaudere nostro
Affectu superos, mysteriisque sacris.

Quæ tam secreto plausu perlata feruntur
In sublime; placant, pacificantque Deum.

Ergo pius sacrificem aspergit sanguine Patrem,

lutis licet ad hoc, qua potuimus diligentia, liturgia-
rum auctoribus. Nec aliud nobis e conjecturis inde
occurrit, nisi quod forte fuerit particularis ritus
Ecclesiæ Cenomanensis, quem tamen nec ipse Mar-
tenius, indefessus rituum ecclesiasticorum investi-
gator indicavit: mera ergo est allegoria.

(19) Editi et plures mss., superos; Ebr., solus,
servos, quod forte melius.

(20) Ebr., dehinc.

(21) Reg., purgat.

²⁰ Matth. xxviii. ²⁰ Gen. iv. ²⁰ Levit. iv.

Cum sic aspersi mentio placat eum.
 Cum vivis veniam, refrigeriumque sepultis,
 Impetrat, et partem, quam petit ipse sibi,
 Et superos et mortales aspergere fertur:
 Nam quæ nos purgat mentio, supplet eos.
 Porro cum sacrificæ sublimem nominat aram,
 Quo supplex orat dona sacrata geri.
 Commemorat liquido velaminis interiora,
 Quo semel intrabat pontificalis apex ²¹.
 Cum sacra perferri sursum rogat, innuit hircum,
 Quem lex deserti vasta subire jubet.
 Quippe duos foribus templi lex applicat hircos,
 Uni desertum destinat, alter obit.
 Christus diversis respectibus hircus uterque:
 Nam tulit in ligno, vivit in arce poli,
 Vivit et hic humilis, deserto regnat in illo,
 Quo propriis humeris ipse (22) reduxit ovem ²².
 Sic meminit legis, meminit crucis ipse sacerdos,
 In sublime vehi munus utrumque petens.
Nobis quoque peccatoribus famulis tuis.
 Idem dum memorat sanctos, humerale recenset ²³,
 Quod his sena patrum nomina scripta gerit.
 Pectus enim logion, scapulas humerale tegebat.
 Præsulis intrantis interiora sacri.
 Hic in utroque gerens gemmis insculpta priorum
 Nomina, venturi præco, typusque fuit.
 Nos etenim gerimus logion, cum nomina patrum
 Circa principium canonis exprimimus,
 Nos humeralis onus gerimus, cum nomina patrum
 Hac in parte sacri canonis inserimus.
 Tunc etiam logion, tunc fert humerale minister,
 Cum mores patrum, cum labor ipse placet.
 ¶ 1147 *Per quem hæc omnia, Domine, bona
 creas, etc.*
 Ecce subinfertur, quod tu, bone Conditor orbis,
 Per Christum semper hæc bona cuncta creas.
 Sanctificas et vivificas, idem benedicis,
 Glorificans primæ conditionis opus.
 Nam quia sic homini Verbum Deus hæret, et una
 Sint persona, creans atque creatus homo,
 Quidquid per verbum Deus ordinat aut operatur, ²⁴
 Per Christum fieri dicitur illud idem.
 Ergo per Christum rerum natura novatur,
 Communisque cibus sit speciale bonum.
 Per Christum quoque sanctificat Deus unus utrum-
 (que
Vivificat pariter et benedicit idem.
 Sanctificat, quoniam datur hæc quoque gratia
 (rebus,
 Ut bene percipiens, sanctificetur eis.
 [(23) Vivificat quoniam datur hæc vegetatio rebus,
 Ut moriens intus vivificetur eis.]
 Hinc idem benedicit eas quia provenit inde,
 (22) Ebr. 19, Colb. 6104 et Colb. 6327, *revertit
 ovem.*
 (23) Hi duo versus desunt in mss. Colb.; sunt
 autem in Ebroicensi.
 (24) Colb. 6101 et 6327 habent *menstrua.*

A Ut benedicatur qui bene sumit eas.
 Est honor, est etiam per Christum gloria Patri,
 Per quem cuncta Pater glorificanda facit.
 Est et cum Christo, quia glorificatur et ipse,
 Cum quo cuncta Pater glorificanda facit.
 Est simul in Christo, quoniam Deus unus uterque,
 Et quod in hoc est, est in utroque simul.
*Oremus. Præceptis. Pater noster. Libera nos quæsumus,
 etc.*
 Ad populum regredi, vestesque lavare supremum
 Pontificem ²⁵, legis mystica jussa volunt.
 Ipes tamen mundus (eadem sic jussa cavebant)
 Non nisi, cum jam sol occubuisset, erat.
 Ecclesiæ Christus, quam non, abeundo, reliquit,
 Subveniens, ad eam compatiendo redit.
 B Hæc ejus vestes in vivis abluit undis,
 Fons qui perpetuo (24) vulnera nostra sanat.
 Fons tamen illa lavans, donec famulabitur orbi
 Sol, velut immundus, atque lavandus erit.
 Ejus enim membris, dum sol aget iste labores,
 Hærebunt maculæ, quodque lavetur, erit.
 Dicitur ad populum tanquam remeare sacerdos,
 Pro populo rursum multiplicando preces.
 Jamque velut foris est, cum vocem mutat, et
 [orans
 Admonet, ut pariter oret et ipse chorus.
 Admonet orandi formam ²⁶, sublime retractans,
 Quam statuit Christus, edocuitque suos ²⁷.
Pater noster, qui es in cælis.
 Talibus officiis (25), interventuque sacrorum.
 Et simul intincta sanctificantis aquæ.
 C Ipse lavans populum, sua vestimenta lavare ²⁸
 Fertur, et apta Deo reddere fonte precum.
 Est tamen immundus, donec sol occidat idem;
 Nam dum vivit, habet, quod lavet, omnis homo.
 Sic sacrificæ remeans, ut dignus percipiendis.
 Fiat, et ad vitam sumat utramque simul.
 ¶ 1148 Jam quasi cum populo septem sibi dona
 [precatur,
 Quæ voluit Christus, instituitque peti.
 Illorum tria prima quidem sine fine manebunt,
 Sed reliquis finem spondet amare dies.
 Semper enim sanctum nomen Patris, idque beato
 Quod metuat, quod amet, quod (26) vereatur,
 [erit.
 Semper et ipse bonus, regnum Patris, unde pro-
 [fecto.
 D Scandala cuncta procul, quodque resistat, erit.
 Semper ut in cælo, sic in tellure voluntas
 Fiet, et in neutro, quod reprobetur, erit.
 Fit vero pariter in utroque paterna voluntas,
 Cum quod amat, quod vult angelus, hoc et
 [homo
 (25) Ita Editi et mss. Colb. 6104 et Ebroic. ; Colb.
 vero 6327, officiis agit inter utrumque. Regius autem
 4103 et Victorin., officiis stans inter utrumque.
 (26) Colb. 6104, *moreatur, erit.*

Præterea, sicut quidam sensere priorum,
 Terra, caro; cælum, spiritus accipitur.
 Consummatur in his pariter divina voluntas,
 Cum caro subjicitur, spirituique favet.
 Hæc tria nunc justo variis eventibus adsunt,
 Post mundi finem nescia finis erunt.
 Quatuor esse sinent: nam pasci nullus egebit
 Cuive remittantur debita, nullus erit.
 Tentari nemo poterit; mala nulla deinceps,
 A quibus electos liberet auctor, erunt.
 Nam Verbum vitæ, panem puto quotidianum,
 Sive sacramentum, quo viget intus homo.
 Tunc neque doctrina, neque ea dape justus egebit,
 (27) Qui sciet omne bonum, cui Deus ipse cibus.

Libera nos, quæsumus, Domine.

Et quia præteriti meminit, præsentis gravatur;
 Venturum metuit presbyter ipse malum.
 Ut præce sanctorum Deus illum liberet, utque
 Pax data tranquillet tempora nostra, rogat.
 Officit Ecclesiæ, cum perturbatio fervet;
 Pax in spe fructus semina jacta fovet.
 Hinc sequitur panis infractio tradita nobis
 A Domino, quiddam legis et ipsa gerens.
 Legis præcepto minui similago jubetur³⁰,
 Non nisi frustratim sacrificanda Deo.
 Sic sacrum panem cœnans fregisse Redemptor
 Dicitur, et fractum distribuisse suis.
 Nos quoque non frustra legem, Christumque se-

[quentes,

Apte partimur dona dicata Deo.

Nam tres Ecclesiæ sunt partes, una laborat
 In terris, partem jam fovet alta quies.
 Partem quæ restat, clementior excoquit ignis,
 Excoctæque patet transitus ad requiem.
 Diversas meritis, diversas sorte locorum.
 Tres istas partes hostia fracta notat.
 Pars intincta mero, vivis aptatur, opusque
 Sanguinis et carnis expiat ipsa caro.
 Pro bene defunctis, quorum purgator unus
 Hoc interventu non eget, alter eget.
 Offerri reliquas ratio jubet [docet], obtinet usus;
 Nec tamen hic idem fructus utrique datur.
 Nam dum pro justo sacris assistitur aris,
 Pro justo grates ipse minister agit.

Cum pro solvendis (28) nunc pœnam temperat

[altor,

Nunc et plena quies acceleratur eis,
 His epulis epulas illius sumimus Agni,
 Quem lex præcinuit, crux tulit, ara sapit.
 1149 [(29) Non crudus, nec coctus aquis, sed ab
 [ignibus ustus.

Hic decet Agnus edi, plebibus et tribui.

(27) Melius Colb. 6104, Reg. 4103, Victor. 272,
 Ebr., Qui.; Colb. 6327, Cui.

(28) Colb. 6104 et 6327, pro *salvandis*.

(29) Hos decem versus solus ms. Colb. 1601 habet,
 qui desunt tam in editionibus quam in aliis mss.

(30) Ita ms. Ebr., et Colb. 6327, et editi Colb.
 6140, sic habet: Cum partem ad dextram cedit.

³⁰ Levit. xxviii.

A Crudo purus humo, Jesu cocto quoque lymphis
 Schisma notatur, idem soinditur Emmanuel.
 Usta caro prunis assatur et ossibus hæret:
 Cœlitus astricta est sic caro nostra Deo.
 Nec sine lactucis hoc debet agrestibus uti
 Quisquis agit supplex sacrificantis opus.
 Lactucæ agrestes, humilis compunctio cordis,
 Qua commissa pie flendo, gemendo luat.]
 Presbyter hunc in mysterio sumpturus ab ipso,
 Tam sibi quam populo munera trina petit.
 Inter eos siquidem primum rogat enumerari,
 Quos in carne pudet turbine carnis agi.
 Hinc in eo regno petit idem glorificari,
 Quo sua membra caput glorificanda trahit.
 Postremo, quia spiritui caro lenta resistit.
 Cedit et infelix spiritus, ipse caro.

B Implorat pacem, qua fiat uterque quod alter,
 Concordesque velint, atque sequantur idem.
 Nam nisi te bene composita, non justificatur
 Nunc, nec in æternum justificatur homo.
 Hoc intellectu distinguit prisca vetustas,
 Quod clerus triplici voce precatur ita.
 Ad Christi reditura fidem Judæa notatur,
 Cum (30) Pater ad dextram cedit et explet opus.
 [(31) Interea unanimis plebs his communicat escis.
 Unde chorus reddit cantica digna Deo.
 Hinc sacrificans versus clerum populumque salutat,
 Et rogat ut supplices hæc sacrosancta juvent.
 Subditur *Ita*, quia nostra est devotio missa
 Angelicis manibus sedibus æthereis.]

C [(32) Est ratio cur altaris pars tertia missæ
 Principium finemque tenet, mediumque sinistra;
 Dextera Judæos, gentiles læva figurat.
 Cœpit ab his, defertur ad hos, refertur ad illos
 Nostra fides, et erunt sub mundi fine fideles.]
 [(33) Ecclesiæ partes credunt tres esse fideles:
 Angelicum cœtum Domino semper comitatum,
 Atque viros sanctos merito jam semibeatos;
 Tertia torquetur pars, sed vexata piatur.
 Ex hoc cœlestis fit mystica fractio panis.
 Pars major partem designat jure peractam,
 Altera de panibus, quæ sicca tenenda jubetur,
 Pars designat eos quos dixi semibeatos.
 Tertia, quam mos est positam cum sanguine sumi,
 Præsentis vitæ signat positos in agone,
 Quam simul adhuc retinet, donec sententia purget.]

D Tollimur e medio fatiis urgentibus omnes.
 Et trahimur quos nos vita peracta vocat.
 Hi nunquam hi, semper, alii plectuntur ad horam,
 Purgatisque datur transitus ad requiem.
 Hanc illis altare sacrum, vel criminis experta
 Vita, vel obsequiis emptus amicus emit.

(31) Sex hos versus solus habet Colb. 6101.

(32) Hos quinque versus hexametros habent
 Colb. 1168, Reg. 4103, Victorin. 272, cum hoc titulo:
Quid significet utraque pars altaris.

(33) Undecim hos versus habet solus Colb. 1168,
 qui in omnibus aliis desunt; et immediate subjunguntur
 versi qui desunt in verba: *Explet opus.*

Perfectos, valdeque malos nil vota suorum,
 Nil impensa precum, nil holocausta juvant.
 Nam nec justus eget, nec pessimus ista meretur
 In medio est, veniam cui sacra mensa parat
1150 Ipsa tamen vivos a vitæ calle vagantes,
 Ut redeant, saltem sero juvare solet.
 Unde sit ut sacris quoties assistitur aris,
 Particulis cedat hostia fracta tribus.
 Pars intacta mero pro vivis orat, opusque
 Sanguinis et carnis expiat ipsa caro.
 Pro bene defunctis, quorum purgator unus
 Hoc interventu non eget, alter eget.
 Offerimus tibi, Summe, duas, sed propter eosdem
 Oblatæ pariter non operantur idem.
 Nam pars pro sanctis, pars est pro sanctificandis ;
 ((34) Illa refert grates, supplicat ista Deo.
 Hostia pro justis laus est, pro justificandis
 Vota precum ut citius delur eis requies.
 At reliquis, quorum mala mors ac improba vita

A Promeruit pœnam, non favet hæc venia]
 Fit cibus his ex pane caro, Deus ex elemento,
 Mysterio simplex, utilitate triplex.
 Fit cibus his ovis in ligno, leo fortis in urna,
 Ales ad astra volans, rex super astra sedens.
 Neve pates illi tumultumve crucemve deesse,
 Ipse calix tumulum denotat, ara crucem.
 ((35) Ara crucis, tumulique calix, lapidisque pa-
 [tona
 Sindonis officium, candida byssus habet.]
 Utque fides adsit, terrorque recedat, et horror,
 Fit cibus ipse caro, panis imago manet;
 † De mutatione locorum in missa.
 Est ratio quod pars altaris dextera missæ
 Principium finemque tenet, mediumque sinistra.
B Dextera Judæos, gentiles læva figurat,
 Cœpit ab his, transfertur ad illos, refertur ad illos
 Nostra fides, et erunt sub mundi sine fideles.

Post hos versus, in editione Parisiensi Claudii Chevalloni, an 1548, subsequuntur immediate sequentes hi hexametri, qui in aliis desunt editionibus. Inveniuntur autem in solo manuscripto Majoris-Monasterii, num. 103, et ibi tribuuntur Hildeberto.

De sacramento altaris alii versus.

Panis (36) in altari verbi virtute sacratas,
 Fit caro divina nostri medicina reatus.
 Non alius celebrat, quamvis alius videatur.
 Mysterium sacrum Verbum Deus hoc operatur.
 Verbum namque caro factum sacra verba ma-
 [gistrat,
 Et per sacrificem (37) carnem de pane ministrat.
 Hic opus, hic opifex Deus est; sacrat atque sa-
 [cratur,
 Fitque creatura, per quem res cuncta creatur.
 Nam res, cui panis pridem substantia mansit,
 In Christi carnem Deitatis munere transit.
 Nescit homo, nescit; stupet angelus hoc ita factum,
 Arcanique sacri pavet inscrutabile pactum.
 Nescit quo modulo, quo virtutis documento
 Rex elementa creans prodit Deus ex elemento.
 Sed dextræ Domini talis mutatio cedit,
 Quo viget omne quod est, cui mundus et æther ob-
 [edit.
 A nostris oculis ideo sunt ista remota,
 Hæc penitus nobis nisi mentis lumine nota,
1151 Ut sic nostra fides ad justitiam doceatur,
 Et fidei merces major exinde sequatur.

Ejusdem de novo sacrificio vetus abrogante.

(E ms. Colb. 6327, Reg. 4103, Ebr. 19, et aliis.
 Nondum editi.)

Melchisedech Domino panem vinumque litavit;

(34) Varie in mss. aut locantur, aut etiam omit-
 tuntur plures e sequentibus versibus. In mss. Colb.
 6101 leguntur prout hic posuimus. In Ebr. et in
 editis, post verbum *sanctificandis*, sic habetur:
Mentio pro reliquis causam agit alterius, qui est
etiam in Colb. 6327.

Christus idem statuens, pactum vetus evacuavit.
 Inter utrumque diu fuit alter sacrificandi
 Ritus, et obtinuit vim qualemcunque piandi;
 Agnus enim legis carnales expiat actus,
 Agnum designans qui nos lavat hostia factus.
 Hoc semel oblato cursum prior ille peregit,
 Quodque fuit signum præsens effectus abegit.
 Quis locus auroræ, postquam sol venit ad ortum?
 Quis locus est votis, teneat cum navita portum?
 Lex aurora fuit, bos et capra vota fuere;
C Crux sol, crux portus, hæc est ea [f. et cætera]
 [præteriere.
 Sub cruce cessat ephod, et deficit unctio regis.
1152 Crux clausit templum, crux solvit ænigmata
 [legis.
 Hircus, ovis, passer, vervex et adeps vitulorum
 Nil præconantur, Deus hostia finis eorum.
 Parcas Hebræus ovi; crux carnes abstulit aræ;
 Est pecudum pecudes post Christum sacrificare.
 Mortuus ille semel, licet ultra non moriatur,
 Idem quotidie sine vulnere sacrificatur.
 Panis in altari Deus in cruce, nil dubitetur.
 Hoc vitæ verbo fieri vita ipsa fatetur,
 Quæ vegetet mentem, nec Christus inania sanxit.
 In Christi carnem panis substantia transit;
D Hac in carne nihil carnale nihilque cruentum;
 Spiritus hanc tangit, videt, accipit ad monumentum
 Ordo sacer, pia traditio, pia victima panis,
 Qua veteris ritus cruor horridus exstat inanis.
 Secretum felix, nova virtus, utile sacrum,

(35) Hi duo in editis erant ad marginem, quos, ut
 eundem sensum exprimentes, inter alios inferendos
 duximus, licet in nullis mss. eos legerimus.

(36) Hi duo versus sumpti sunt e libro De eucha-
 ristia proxime sequenti.

(37) Nota verbum Hildeberto familiare.

Quo factus sanguis, liquor est vitale lavacrum.
Nam quia peccantes medicina semper egemus,
Hanc pro peccatis medicinam semper habemus.
Hæc datur ad vitam, sed si reus hanc verearis,

A Qui Patris ad dexteram sedet et mactatur in aris.
Ecce vides in lege typos et signa perissa,
Ad propriumque caput tria sacramenta redisse.

IN LIBRUM SEQUENTEM BREVE MONITUM.

Hunc librum De sacra eucharistia e manuscripto Colb. 6327 erutum, vere Hildebertinum esse suadent allegorie, phrasæ et dictiones Hildeberto familiares, et intermixti etiam versus integri indubitanter Hildebertini: v. g. In Natale sacro, etc., qui in omnibus manuscriptis illi tribuuntur; et Panis in altari, etc., qui sunt eorum primi, qui in editione Parisiensi an. 2548 immediate subjiciuntur poemati ejus De sacrificio missæ. Nec mirandum quod Hildebertus bis, vel etiam pluries de sacra eucharistia metricè tractaverit, cum id diversis forte temporibus præstiterit, nec sit inusitatum ut idem auctor pro variâ opportunitate, vel occasione de eodem argumento sæpius egerit.

VEN. HILDEBERTI LIBER DE SACRA EUCHARISTIA.

(E ms. Colbertino, num. 6327. Nondum editus. Omnia summaria sunt in ms. minio picta.)

§ UNICUS. *Cur panis et vinum in sacramento corporis et sanguinis Domini offeratur, et cur aqua admisceatur.*

Si Deus elegit tria quæ sibi sacrificentur,
Nolo tamen quod sacra Dei diversa potentur;
Unus enim Deus est, unum quod sacrificatur,
Quamvis diversum pro temporibus videatur.
Nulla docet ratio, cum vere sit Deus unus,
Quod cupiat varium, vel commutabile munus;
Ipse voluntatem non permutans aliquando,
Consultuit nobis, solum ritum variando;
Solus enim ritus, res vero non variatur;
His etenim rebus, Domino quibus ante litatur
Agnum primus Abel, vitulum lex sacrificavit,
Gratia, quæ superat, panem vinumque litavit.
Hæc tria sola Deo creduntur grata fuisse;
Qui coluere Deum, dicuntur in his coluisse.
Ante datam legem præcessit lex rationis,
Tertia lex venit perfectæ religionis,

1152 Ergo duæ leges, quæ nostram prævenie-

[bant,

Quod sit in Ecclesia præsignificando docebant.

Illa prior creditur sacros patres habuisse,

Hæc circumcisos in carne Deo placuisse:

Illa sacramentum, quod Christus verius egit,

Altaris nostri sub eisdem patribus egit.

Hoc sub Abel, sub Melchisedech, sub Abram vi-

[guisse

Fertur, eosque novi sacri speciem tenuisse;

Quorum Melchisedech, quamvis non esse legatur

Progenies, tamen his non inferior numeratur.

Lex in qua Domino caro circumcisa placebat,

(38) Pro duodecim.

B Pontifices unctos unius stirpis habebat.
Unctio talis erat, quæ Christum significaret,
Qui verus sacrificex mundi peccata piaret,
Sed tribus illa Levi, quia pontifices tribuebat,
Sola sacerdotum jus officiumque gerebat;
Et pro peccatis, et victima pacificorum
Non nisi de manibus acceptabatur eorum.
Nullus in his arcem capiebat pontificatus,
Ni foret ex Aaron generis a stirpe creatus.
Hic semel et solus intrabat Sacra sacrorum:
Intrans hircorum cum sanguine, vel vitulorum;
Ipse duos (38) lapides humeris hinc inde gerebat,
Nomina scripta patrum quibus insignita ferebat⁴⁰:
Ergo tribus omnes humero gestabat utroque,
Sacrificans, oransque Deum pro se populoque.

C Hæc dixi breviter veteri de more litandi,
Ut de more novo major sit copia fandi.
Prævidit Dominus prius orbem quam fabricaret,
Quomodo peccatum primi patris evacuaret.
Non peccarat Adam, Dominus præviderat ante
Quod sit holocausto redimendus quo velit ante;
Sed Domino placuit posthac monstrare figuris
Posset ut esse fides magis indubitata futuris.
Agnum primus Abel mactavit filius Adæ,
Agnus et ipse Dei, Peccatum diluit Adæ:
Idem quippe Deus, et præsul, et hostia factus
Prævaricantis Adæ, nostros quoque diluit actus.
Agnus Abel, Christum Patris agnum significavit;
Frater eum, sic et Dominum Judæa necavit,
Ergo videre potes quod Abel, agni que figura,
Venturi Christi signabant sacra futura.

D Melchisedech legitur panem vinumque dedisse,

⁴⁰ Exod. xxviii.